



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De monacho, qui ab altero ob inuidiam criminatus & incarceratus est, &
gloriosè eductus, cap. 24

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

licenæ. Huius filia sunt odium, susurratio, detractio, exultatio in aduersis proximi, afflictio in prosperis eiusdem. Hoc vitium de angelo diabolu fecit: hoc vitium hominẽ de paradiso eiecit. Inuidia enim diaboli, mors introiuit in orbem terrarum. Quam graue & periculosum sit hoc vitium, in epistola tua Ioannes breui sermone concludit, dicens: Qui odit fratrem suum, homicida est. Hoc vitium quanto est occultius, tanto periculosius.

CAPVT XXIV.

Non est diu, quod monachus quidam, stimulis, inuidiæ agitated & superatus, quendam ex fratribus suis adolescentem accusauit apud Abbatem, imponens ei crimina pessima: cui cū minùs Abbas crederet, ille ad maiorem vindictam vsque ad Visitatoris presentiam suam accusationem referuauit. Quid plura? Tanta apud illum inuidi machinatio profecit, vt ipse Visitator inueni vitia relata in capitulo corã omnibus objiceret, negãti & Deũ innocẽtiæ suæ testem inuocãti nõ crederet, sed habitu trũcato carceri mãciparet. Post cuius discessũ, Deus iudex iustus, inuidũ infirmitate peremptoria flagellauit: timẽs verò mori, confessus est iuuenẽ ex inuidia se accusasse. Quod cū ex cõsilio cõfessoris senioribus propalasset, statim pro Visitatore misũ est: qui territus ad monasteriũ ocyus rediit, ipse carcerẽ intrauit, ad pedes monachi se prostrauit, & vt sibi ignosceret, quod ignorãter in eũ deliquerat, supplicãs, etiã reluctãtẽ eũ cū gloria eduxit. Hæc mihi relata sunt à quodam Abbate, qui visitationi eidem interfuit. **APOLLON.** Puto monachum istum in tam grandi tentatione meruisse. **CÆSAR.** Quod fornax auro, quod lima ferro, quod flagellum grano, quod vuae torcular, hoc ei eadem fuit tentatio. Seruauit enim in tribulatione patientiã. Inuido autem sua erat inuidia, quod venenum stomacho, quod tinea vestimẽto, quod erugo flori, quod tabes corpori. **APOLLONIVS:** Si nosti adhuc aliqua de tentationibus inuidiẽ exempla, precor vt mihi recites illa. **CAESARIUS:** Quia latens morbus est inuidia, nullũ ad præsens occurrig

Sap. 2.

1. Ioã. 9.

Inuidia
exemplã.

currit exemplum, quod vel memoria sit dignum, & ad
 ædificationem necessarium. Referam tibi tamen quan-
 dam sanctam inuidiam, quam te audire delectet.

CAPVT XXV.

*Inuidia
 facta.*

A NNO præterito in monasterio quodam or-
 dinis nostri iuxta Frisiam, quod Iesse dicitur,
 duæ paruulæ puellæ ad literas positæ fuerunt.
 Quæ cum magno feruore discentes, satis inter se con-
 tenderunt, vt vna alteri in studio & scientia superior
 haberetur. Interim contigit vnâ infirmari, quæ cõ-
 paris sui profectui inuidens, satis cœpit tentari, timēs
 quòd interim multa discere posset, vocâsq; Prioris-
 sam, cœpit illi supplicare, dicens: Bona domina, quâ-
 do venerit ad me mater mea, ego requiram ab ea sex
 denarios, quos vobis dabo, vt non patiamini discere
 sororem meam donec conualuero: timeo enim, ne
 præcellat me. Ad quod verbû subrisit Priorissa, puel-
 læ feruorem satis admirans. APOLLONIVS: Dic obse-
 cō quæ est medicina contra inuidiam. CAESARIUS:
 Obsequia charitatis.

CAPVT XXVI.

*Remedia
 contra
 inuidiã.*

M Agister Rudolphus Scholasticus Colonienfis,
 quem ego bene noui, & frequenter audiui, disci-
 pulos suos instituens, exemplum contra inuidos
 docuit, dicens: Frater aliquis quendã ex fratribus suis
 ita exosum habuit, vt sine cordis sui cruciatu illum re-
 spicere non posset. Quod ille sentiens, & vulnus cor-
 dis eius sanare cupiens, fratrem tam periculosè tenta-
 tum, imo in ipsa tentatione omnino superatum, ob-
 sequiis charitatis ad suum amorem, quantum potuit,
 inclinauit. Capitale eius vertit & mollificauit, vestes
 exculsit, calceamenta circa lectum cõposuit, & quic-
 quid ad illius commodum esse nouerat, in quantum
 licuit & potuit, exhibuit. Sic ille inuidus obsequiis e-
 ius deuictus, & ad cor reductus, conceptum inuidiæ
 venenum exspuit, & quem prius oculo æquo respice-
 re non potuit, plus postea cæteris dilexit. Hæc de vi-
 tio inuidiæ pro exemplo dicta sint. Hoc vitium quia
 i. Iaã. 4. cæteris Deo, qui charitas est, plus videtur esse contra-
 rium,